



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Quæ sint fortitudinis partes. 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

¶ Et primo, considerandum est quæ sint fortitudinis partes.

¶ Secundo, de singulis partibus est agendum.

ARTIC. VNICVS.

Virum partes fortitudinis conuenienter enumerentur?

642

Inf. q. 129

a. 5. et q.

134. a. 4.

et q. 130.

a. 4. et q.

161. a. 4.

ad 3. et

3. d. 33.

q. 3. a. 3.

q. 2. et 4.

li. 2. de

Inuen. in

fol. 3. an-

te fin. lib.

lib. 4. c.

2. to 5.

q. 117.

ar. 5.

lib. 2. de

Inuen. in

fol. 3. an-

te med.

lib.

li. 1. in sē

mnū Scī

pio. i. fol.

2. ant.

med. libe

rica-

AD primum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter partes fortitudinis enumerentur. Tullius * enim in sua Rhetorica ponit fortitudinis quatuor partes, scilicet magnificentiam, fiduciam, patientiam, & perseverantiam. Et videtur quod inconuenienter. Magnificentia enim videtur ad liberalitatem pertinere: quia vtraque est circa pecunias, & necesse est magnificum liberalem esse, vt Philof. dicit † in 4. Ethic. Sed liberalitas est pars iustitiæ, vt supra habitum est *. Ergo magnificentia non debet poni pars fortitudinis.

¶ 2 Præterea, Fiducia nihil aliud videtur esse, quam spes. Sed spes non videtur ad fortitudinem pertinere, sed potius per se est virtus. Ergo fiducia non debet poni pars fortitudinis.

¶ 3 Præterea, Fortitudo facit hominem benè se habere circa pericula. Sed magnificentia & fiducia non important in sui ratione aliquam habitudinem ad pericula. Ergo non ponuntur conuenienter partes fortitudinis.

¶ 4 Præterea, Patientia secundum Tullium *, importat difficultatem & persequutionem. Quod etiam ipse attribuit fortitudini. Ergo patientia est idem fortitudini, & non est pars eius.

¶ 5 Præterea, illud quod requiritur in qualibet virtute, non debet poni pars alicuius specialis virtutis. Sed perseverantia requiritur in qualibet virtute. Dicitur enim Matt. 24. Qui perseverauerit vsque in finem, hic saluus erit. Ergo perseverantia non debet poni pars fortitudinis.

¶ 6 Præterea, Macrobius * ponit septem partes fortitudinis, scilicet magnitudinem, fiduciam, secu-

ritatem, magnificentiam, constantiam, tolerantiam, firmitatem. Andronicus etiam ponit septem virtutes annexas fortitudini, quæ sunt eufychia, lema, magnanimitas, virilitas, perseverantia, magnificentia, andragathia. Ergo videtur quod insufficienter Tullius partes fortitudinis enumeret.

li 3. c. 8.
tom 5.

¶ 7 Preterea, Arist. in 2. Ethic. * ponit quinque partes fortitudinis: quarum prima est politica, quæ fortiter operatur propter timorem vel exhortationis vel pænæ. Secunda est militaris, quæ fortiter operatur propter artem & experientiam rei bellicæ. Tertia est fortitudo, quæ fortiter operatur ex passione præcipue iræ. Quarta est fortitudo, quæ fortiter operatur propter consuetudinem victoriæ. Quinta est fortitudo, quæ fortiter operatur propter inexperientiam periculorum. Has autem fortitudines nulla prædictarum enumerationum continet. Ergo prædictæ enumerationes partium fortitudinis videntur esse inconuenientes.

q. 48.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est, alicuius virtutis possunt esse triplices partes, scilicet subiectiuæ, integrales, & potentiales. Fortitudini autem, secundum quod est specialis virtus, non possunt assignari partes subiectiuæ: eo quod non diuiditur in multas virtutes specie differentes, quia est circa materiam valde specialem. Assignantur autem ei partes quasi integrales & potentiales: integrales quidem, secundum ea quæ oportet concurrere ad actum fortitudinis; potentiales autem, secundum quod ea quæ fortitudo obseruat circa difficillima, scilicet circa pericula mortis, aliquæ aliæ virtutes obseruant circa quasdam alias materias minus difficiles: quæ quidem virtutes adiunguntur fortitudini sicut secundariæ principali. Est autem, sicut supra dictum est *, duplex fortitudinis actus, scilicet aggredi, & sustinere. Ad actum autem aggrediendi duo requiruntur: quorum primum pertinet ad animi præparationem, vt scilicet aliquis promptum ani-

q. 123. a.
3. c. 6.

animum habeat ad aggradiendum. Et quantum ad hoc, ponit * Tullius fiduciam. Vnde dicit, quod fiducia est, per quam magnis & honestis in rebus multum ipse animus in se fiducie certa cum spe collocauit. Secundum autem pertinet ad operis executionem, ne scilicet aliquis deficiat in executione illorum quæ fiducialiter inchoauit. Et quantum ad hoc ponit * Tullius magnificentiam. Vnde dicit quod magnificentia est rerum magnarum & excellentiarum, cum animi ampla quadam, & splendida propositione, cogitatio atque administratio, id est, executio, ut scilicet amplo proposito administratio non desit. Hæc ergo duo si coarctentur ad propriam materiam fortitudinis, scilicet ad pericula mortis, erunt quasi partes integrales ipsius, sine quibus fortitudo esse non potest. Si autem referantur ad aliquas alias materias, in quibus est minus difficultatis, erunt virtutes distinctæ a fortitudine secundum speciem suam; tamen adiungentur ei sicut secundarium principali. Sicut magnificentia à Philosopho in 4. Ethic. * ponitur circa magnos sumptus; magnanimitas autem, quæ videtur idem esse fiducia, circa magnos honores. Ad alium autem actum fortitudinis, qui est sustinere, duo requiruntur; quorum primum est, ne difficultate imminentium malorum animus frangatur per tristitiam, & decidat à sua magnitudine. Et quantum ad hoc ponit patientiam. Vnde dicit quod patientia est honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum aut difficilium voluntaria ac diuturna perpassio. Aliud autem est ut ex diuturna difficilium passione homo non fatigetur vsque ad hoc quod desistat: secundum illud ad Hebræos 12. Non fatigemini, animis vestris deficientes. Et quantum ad hoc ponit perseverantiam. Vnde dicit quod perseverantia est in ratione bene considerata, stabilis, & perpetua permanens. Hæc etiam duo si coarctentur ad propriam materiam fortitudinis, erunt partes quasi integrales ipsius. Si autem ad quas-

Loco cit. in arg. 1.

Loco cit. in arg. 1.

li. 4. c. 2. et 3. 10. 5.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cumque materias difficiles referantur, erunt virtutes à fortitudine distinctæ, & tamen ei adiungentur sicut secundariæ principali.

Ad primum ergo dicendum, quòd magnificentia, circa materiã liberalitatis, addit quandam magnitudinem, quæ pertinet ad rationem ardui, quod est obiectum irascibilis, quam principaliter perficit fortitudo; & ex hac parte pertinet ad fortitudinem.

Ad secundum dicendum, quòd spes qua quis de Deo confidit, ponitur virtus theologica, ut supra habitum est *. Sed per fiduciam, quæ nunc ponitur fortitudinis pars, homo habet spem in seipso, tamen sub Deo.

9. 17. a 5
69. 1. 7. 9.
61. a. 3.

Ad tertium dicendum, quòd quascûque res magnas aggredi, videtur periculosum esse: quia in his deficere est valde nocivum. Unde etiam si magnificentia & fiducia circa quæcumque alia magna operanda, vel aggredienda ponantur, habent quamdam affinitatem cum fortitudine, ratione periculi imminenti.

Ad quartum dicendum, quòd patientia non solum patitur pericula mortis, circa quæ est fortitudo, absque superabundanti tristitia, sed etiam quæcumque alia difficilia siue periculosa. Et secundum hoc ponitur virtus adiuncta fortitudini. In quantum autem est circa pericula mortis, est pars integralis ipsius.

Ad quintum dicendum, quòd perseverantia secundum quòd dicit continuitatem boni operis usque in finem, circumstantia omnis virtutis esse potest. Ponitur autem pars fortitudinis, secundum quòd distinctum est.

In corp.
art.

Ad sextum dicendum, quòd Macrobius ponit quatuor prædicta à * Tullio posita, scilicet fiduciam, magnificentiam, tolerantiam, quam ponit loco patientiæ, & firmitatem, quam ponit loco perseverantiæ. Superaddit autem tria, quorum duo, scilicet magnanimitas, & securitas, à Tullio sub fiducia comprehenduntur. Sed * Macrobius magis per specialia distinguit.

Loco cit.
in arg. 6.

guit. Nam fiducia importat spem hominis ad magna. Spes autem cuiuslibet rei præsupponit appetitum in magna protensum per desiderium: quod pertinet ad magnanimitatem. * Dicitur enim supra, quod spes præsupponit amorem & desiderium rei speratz. Vel potest melius dici, quod fiducia pertinet ad spei certitudinem; Magnanimitas autem ad magnitudinem rei speratz. Spes autem firma esse non potest, nisi amoveatur contrarium. Quandoque enim aliquis, quantum ex seipso est, speraret aliquid, sed spes tollitur propter impedimentum timoris. Timor enim quodammodo spei contrariatur, ut supra * habitum est. Et ideo Macrobius addit securitatem, quæ excludit timorem. Tertium autem addit, scilicet constantiam, quæ sub magnificentia comprehendí potest. Oportet enim in his quæ magnificè aliquis facit, constantem animum habere. Et ideo Tullius* ad magnificentiam pertinere dicit, non solum administrationem rerum magnarum, sed etiam animi amplam excogitationem ipsarum. Potest etiam constantia ad perseverantiam pertinere: ut perseverans dicatur aliquis, ex eo quod non desistit propter diurnitatem; constans autem ex eo quod non desistit propter quæcumque alia repugnantia. Illa etiam quæ Andronicus ponit, ad eadem pertinere videntur. Ponit enim perseverantiam & magnificentiam cum Tullio* & Macrobio; magnanimitatem autem cum Macrobio. Lema autem est idem quod patientia vel tolerantia. Dicit enim quod lema est habitus propius tribuens ad conari qualia oportet, & sustinere quæ ratio dicit. Euppsychia autem, id est, bona animositas, idem videtur esse quod securitas. Dicit enim quod est robur animæ ad perficiendum opera ipsius. Virilitas autem videtur idem esse quod fiducia. Dicit enim quod virilitas est habitus per se sufficiens, tributus in his quæ secundum virtutem sunt. Magnificentia autem addit andragathiam, quasi virilem bonitatem, quæ apud nos strenuitas potest dici. Ad

1. 2. q. 40
ar. 7.

1. 2. q. 40.
a 4 ad 2

lib 2. de
Inuēt. in
fol 3. ante
te fin.

locis cit.
in arg. 4
6.

magnificentiam autem pertinet, non solum quòd homo consistat in executione magnorum operum, quod pertinet ad constantiam; sed etiam cum quadam virili prudentia & sollicitudine ea exequatur, quod pertinet ad andragathiam, siue strenuitatem. Vnde dicit, quòd andragathia est viri virtus, adinuentiua communicabilium operum. Et sic patet quòd omnes huiusmodi partes ad quatuor principales reducuntur, quas Tullius ponit.

Ad septimum dicendum, quòd illa quinque quæ ponit Aristot. deficiunt à vera ratione virtutis: quia, etsi conueniant in actu fortitudinis, differunt tamen in motiuo, vt supra *habitum est. Et ideo non ponuntur partes fortitudinis, sed quidam fortitudinis modi.

q. 123. a.
1 ad 2.

QVÆSTIO CXXIX.

De Magnanimitate, in octo articulos diuisa.

D E inde considerandum est de singulis fortitudinis partibus, ita tamen vt sub quatuor principalibus, quas Tullius ponit, alias comprehendamus: nisi quæ magnanimitatem, de qua etiam Aristot. tractat, loco fiducie ponemus.

- ¶ Primo ergo considerandū erit de magnanimitate.
- ¶ Secundo, de magnificentia.
- ¶ Tertio, de patientia.
- ¶ Quarto, de perseverantia.
- ¶ Circa primum primò considerandum est de magnanimitate, secundo de vitijs oppositis.
- ¶ Circa primum queruntur octo.
- ¶ Primo, vtum magnanimitas sit circa honores?
- ¶ Secundo, vtum magnanimitas sit solum circa magnos honores?
- ¶ Tertio, vtum sit virtus?
- ¶ Quarto, vtum sit virtus specialis?
- ¶ Quinto, vtum sit pars fortitudinis?
- ¶ Sexto, quomodo se habeat ad fiduciam.
- ¶ Septimo, quomodo se habeat ad securitatem.
- ¶ Octauo, quomodo se habeat ad bona fortunæ.

ARTIC.